



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 82. Brixia a Venetis capta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

rant autem Fœderati septima Februarii, Sæcul. XVI.
 undevicesima abhinc die, qua urbem ob- A.C. 1512.
 sidere cæperant.

§. LXXXII.

Brixia a Venetis capta.

Præterea ereptæ victoriæ dolorem, quem Gasto Fuxensis Nemorsii Dux conceperat, non parum augebat fatalis nuncius, quo compererat, Venetos die quarta Februarii pridie, quam ipse Bononiam intrasset, Brixiam occupasse, atque ipsius absentia fretos consilium, quod dudum agitassent, effectui dedisse, ipsamque etiam arcem, quæ adhucdum Gallis parebat, armis invadere paratissimos esse, eoquod hujus urbis cives Gallorum dominatum vel maxime pertæsi, secreta cum Venetis commercia foverent, insuper Ludovicus Comes de Avogaro Nobilis Brixienfis Gritto pollicitus erat, se Reipublicæ dominio urbem, quæ patrium ipsius solum esset, redditurum: hinc Grittus Bellidux eo exercitum suum admove-re jubebatur, qui etiam summa solertia usus, Athesin, ac Mincium trajecit, Gallis equitibus ad utriusque fluminis custodiam positis nequidem hostem advertentibus, quo facto Grittus Castanedo-*Marian. lib. 30. n. 34.* lum, urbem a Brixia quinto lapide distans contendit, demum nocte appetente

Sæcul. XVI.
A.C. 1512.

inde profectus, præstituto tempore ante urbis portam sibi designatam substitit. Ast Ludanus conjurationem edoctus, tam solerter cives a portarum accessu arcebat, ut nemine tumultum ciente Grittus rursus Athesim transire, ac Montaniam repetere compelleretur, eum comitante Avogaro Comite, cujus Filius captus, Brixiam deductus est. Nihilominus Galli conjuratorum potentiae cedere cogebantur; hi enim cum Ludanum suppetiis destitui intelligerent, Venetorum copias revocarunt, quæ scalis ad tres urbis partes applicatis introductæ fuerant: Ludanus vero cum copiis suis ad arcem confugerat. Postmodum recuperata Brixia, Bergomum, ac potissimæ urbes a Gallis captæ, Venetorum imperio sese subjecerunt, eosque apertis ultro januis exceperunt.

§. LXXXIII.

Fuxensis Bononia profectus, Brixiam recuperare molitus.

*Marian. lib. 30. n. 34.
Guicc. l. 10.
Bonacurs. in Diar.*

Quamprimum Gasto Fuxensis per nuntium a Ludano Comite missum Venetorum irruptionem intellexerat, securitati Bononiensis urbis consulturus, ibidem trecentos lancearios, peditumque quatuor millia sub Duce Lautrecco reliquit, ipse vero inde profectus eodem die Stella-